

In Ieremiam

Luis del Alcázar s.i.

Transcripción y notas de Antonio M. Navas Gutiérrez s.i.

[sequitur]

per R.P. Ludovicum
del Alcazar, Hispali,
anno 1591, mense Octobris

Caput 2

[f.86v]

1° Summa Capitis. Exprobratio reipublicae iudaeorum quod cum fuerit a Deo omni modo amata et in sponsam asumpta et valde amata et cumulata beneficiis a suis parentibus degeneraverit et impudentissima meretrix facta sit et quod forte magis mirum est adhuc casta se putet et casta haberi velit minusque supplicia Dei convincit eam adulterii, scilicet idololatriae et agit de huius flagitii supplicio.

2. *Recordatus sum tui miserans adolescentiam tuam et charitatem desponsationis tuae.* Videtur exprobare oblivionem, quasi diceret ego recordatus sum tui antequam tu me nosset et te mihi beneficiis maximis devincivi et tu postquam ego te cognovi et amavi oblita es mei et elongasti a me. Vide Ezechiel 16. Aut forte recordatus sum tui ac si diceret considerata praesenti tua idololatria venit mihi in mentem illud tempus adolescentiae tuae in qua tui misertus sum et tu adeo me amasti ut etiam per deserta sequereris, erat tunc Israel sanctus Domino et ego inimicus eorum qui eum invadebant; quid ergo nunc invenistis in me ut a me recederetis. Contra hanc expositionem obiiciet forte quis numquam iudeos habuisse perfectam dilectionem erga Deum ut ait Theodoretus unde ipse nomen caritatis quasi hyronice dictum interpretetur et Capella ait forte nomen caritatis non esse intelligendum de caritate populi erga Deum sed de caritate Dei erga populum.

Dico 1° contextum non permittere ut construamus de caritate Dei erga populum quia nulla ratione dici potest Deum miseratum esse suamet caritatem erga populum.

Dico 2º Hieronymum aperte explicare de caritate quam populus per Dei misericordiam consequutus est et licet ille populus non valde perfecte Deum amaverit negari tamen non potest quin etiam aliquando vere amaverit et in egressu ex Egypto magni amoris significationem dederit videtur enim synagoga ut amantem per deserta sequeretur media nocte occulte ex domo heri egressa, quod si hoc non tam ad caritatis quam [f.87] ad libertatis amorem pertineret quis dicat in eo ipso ellucet aliqualis affectus amantis quod suam libertatem constituat in eius sequelam per desertum et adhuc quia illa non tan erat perfecta caritas

quam figura, ideo dicitur Deus miseratus illam caritatem, certe miseratio non est nisi rei imperfectae, apiadose de aquel afecto imperfecto de caridad y estimó en tanto por su gran misericordia que hubiese quien se fuese tras él por el desierto que se desposó con este pueblo y le dio por arras su ley, non ergo habet locum hyronia in nomine caritatis et praecipue cum sermo sit de eo tempore quo erat sanctus Israel Domino primitiae frugorum eius, nisi quis hoc etiam hyronice dictum putet. Verum neque Theodoretus id accipit hyronice neque Hieronymus, vide illos.

3. Quomodo tempus adulescentiae congruat cum tempore egressionis ex Egypto vide Oseae 2,15, et qua ratione Israel appellatus sit primitiae frugorum Domino vide Oseae 9,10.

4. *Qui traduxit nos per desertum per terram inhabitabilem.* Ac si diceret Deus cuius providentia est adeo mirabilis ut infinitam multitudinem 41 annorum per desertum inhabitabilem peregrinantem pane coelesti paverit et incolumes deduxerit in terram Carmeli id est in terram adeo amoenam ut merito nomen Carmeli mereatur, in eodem fere sensu usurpant granatenses hoc nomen carmen. Vide ementa [?] in id Amos 1, exsiccatus est vertex Carmeli.

5. *Propterea adhuc iudicio contendam vobiscum.* Notat Capella illud adhuc insinuare saepe id ipsum fuisse Dominum, mihi videtur maiorem habere energiam commemoratis enim illorum sceleribus videtur dicere y todavía me digno yo de ponerlo en disputa, ac si diceret jure quidem agerem si omissis quaerelis fulminibus agerem verum ego non dedignor conqueri et disputare.

6. *Et portae eius desolamini vehementer.* Difficultas loci videtur fuisse ut mutatis punctis hebraicae dictionis non transferant *et portae eius* sed huius dictionis loco adjiciat aliud verbum legentes obstupescite coeli super hoc et horrescite, desolamini vehementer. Ita Pagnini et Arias, difficile enim est quid sit portas coeli desolari et quod ait Capella sermonem esse de coelo ut de quodam palatio tremore concusso cujus portae excedunt propter concusionem non est ad rem, tum quia dictio hebraica quae hic ponitur non significat balbas sed ostium quod valvis claudi solet, tum quia desolari non est concidere sed vel exsiccari vel habitatoribus nudari vel deleri. Subdit Capella forte

portas desolari esse idem quod solem et lunam et stellas obscurari aut idem quod catharactae coeli aperiri per maximam tempestatem. Sed nihil horum satisfacit maxime cum contrarius postulet ut ad admirationem referantur haec verba potius quam ad tristitiam vel vindictam. Vide ergo an eadem figura qua coelites propheta alloquitur et addit obstupescite coeli super hoc agens cum illis ac si essent homines in quos cadit admiratio eadem in qua figura petat ut festinent et accurrant ad contemplandum portentum horrendum. Quod si petit [f.87v] ut relictis coelis accurrat ad videndum eiusmodi monstrum aptissime id explicat dicendo desolamini portae coelorum fingit enim coelites quasi homines per aliqua hostia egredi et tunc petere ut hostia maneat desolata id est egredientibus vacua nihil aliud est quam ut omnes prorsus egrediantur. Et adiecit ad verbum vehementer quo magnam celeritatem postularet ac si diceretur maneat portae coelorum vacuae summa properantium contentione ut oculis hauriant stupendum miraculum invitat autem coelites ad contemplandum quia in terra nemo est qui recogitet.

7. *Numquid servus est Israel aut vernaculus, quare ergo factus est in praedam.* Videntur interpretes ita accipere illam primam interrogationem ac si propheta palam diceret Israelem non esse servum et ideo interrogat quare populus liber ut res vilis et despecta contemnatur et tradatur in manus hostium. Verum in hac expositione non acquiescit animus, 1° quia supponit servum solere fieri in praedam absque alia causa eo solum quod servus sit quod ratio abhorret indignum enim est ut quis servum suum et maxime domi natum de quo loquitur textus exponat praedae et leonibus permittat deinde quia servus et vernaculus videntur in praesenti dici relative ad Deum quasi emptus a Deo vel in domo Dei natus atqui servire Deo regnare est et in servis suis gloriatur Dominus juxta id servus meus es tu Israel in te gloriabor et in eo textu sancti exultatnt dicentes servus tuus sum ego et filius ancillae tuae. Non ergo consonat dicere Israelem factum esse in praedam ac si esset servus in domo Dei natus.

Duo ergo me valde suspicari illam interrogationem numquid servus est Israel non continere negationem sed potius admirationem ac si diceret iste ne est populus Dei servus et in domo Dei natus quomodo ergo factus est in praedam quae constructio potius supponit Israelem esse servum et eo magis miseratur eius calamitatum quo magis erat futurus ab eo immunis eo quod nomine servi Dei decoratur.

8. *Filii quoque Mempheos et Taphnes constupraverunt te usque ad verticem.* Hieronymus haec verba refert ad deturpationem per idololatriam ac si diceret iudeos ab Egyptiis cultum deorum didicisse et eorum stupriis vel falsis religionibus pollutos esse. Cui expositioni videtur favere locus Ezechiel c.23, 17. verum repugnat contextus quia sequitur id factum esse eo quod dereli-

quisset Israel Dominum unde constet non esse sermonem de idololatriae sed de eius sceleris supplicio; sicut ergo in proxime precedentibus sermo est non de culpa sed de pena cum dicitur super eum rugierunt leones scilicet caldei sic etiam in presenti cum addit filii quoque Mempheos suam in te explerunt libidinem omnia devastantes et forte per verticem designatur rex Josias quem interfecerunt aegyptii, et facit quod Arias et Pagnini legunt confregerunt tibi verticem. [f.88]

9. *Nunquid non istud factum est tibi quia dereliquisti Dominum Deum tuum eo tempore quo ducebat te per viam?*, tripliciter hoc exponit Capella, 1°, sic eo tempore quo ducebat te, id est ex eo tempore quo perseveraverunt irritantes ex die qua egressi sunt ex Aegypto ut habetur 4 Regum 21. Sed non video in Sacra Scriptura solere sub audiri in simili frasi ejusmodi populum. 2°, putat Capella posse hoc referri ad peccatum vituli in deserto adorati quia illud peccatum credit etiam tempore Jeremiae punitum propter id Ex,32: ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum. Facit etiam Theodoretus. Sed contra est 1° quia Deus qui facit misericordiam in multa millia generationum non redit iniquitatem patrum in filios post quartam generationem ut habet Ex. 34 et Deut.5, Deinde modus interrogandi numquid istud etc. manifeste indicat Jeremiam loqui de causa adeo nota ut vix dubitari possit atqui si Deus tunc puniret per vitulum adoratum saltem id erat praeter opinionem hominum ergo non loquitur de ea causa. Hic explicat Capella ita ut quando dicitur eo tempore designetur totum tempus in quo Deus per prophetas populum israeliticum per rectam mandatorum viam deducere conatus est. Pro hac explicatione adducit Hieronymum et nescio quam lectionem 70 quam vel ex ipso Hieronymo constat non esse illorum.

Dico tamen omnino optandum esse ut cum dicitur eo tempore notetur singulare aliquod tempus et mihi prorsus videtur notari tempus illud de quo dixi c.1°, § 5, in quo coeperat profligari idololatriae tempore Josiae ac si diceret nonne vides has tibi calamitates contigisse propterea quod reliquisti Dominum qui iam te per viam verae religionis deducebat, melius enim erat illis, ut habet 2 Petri, n° 21, non cognoscere viam justitiae quam post agnitionem retrorsum conversi et post hanc perversionem manifestiora numinis irati signa experti sunt.

10. *Et nunc quid tibi vis in via Aegypti ut bibas aquam turbidam.* Optime hic Capella, quod vero sequitur *arguet te malitia tua* eo videtur dici quo nos dicimus tu pecado te dará el pago que mereces.

11. *Quomodo dicis non sum polluta*, etc. locus sane notatur et admiratione dignus, non propter difficultatem intelligentiae sed propter caecitatem conscientiae et propter falsitatem apertae, quis crederet eos qui sunt infinitis flagitiis cooperti et quorum salus videtur quodammodo desperata adeo tamen

esse caecos ut cum sibi suorum sordium maxime conscii sint adhuc tamen facile sibi pesuadeant suas maculas esse levissimas et nullo fere negotio abstergi posset et quis crederet eos qui in suis sceleribus gloriantur adeo falsa apparentia delectari ut nulla ratione ferat si cum eis quasi cum scelesti agat et ab aliquo corripiantur.

Si quis hoc in se non agnoscit contempletur quaeso hos idololatrias quos alloquitur Jeremias hinc adeo servos peccati ut dicat desperavi nequaquam me potero continere. [f.88v] adamavi quippe alienos illinc vero adeo propensos ad excusanda vel extenuanda sua peccata ut opus fuerit ad eos clamare si laveris te nitro etc, ac si diceret no bastara toda el agua del Guadalquivir ni todo el jabón de Almona para sacarte la mancha hinc etiam adeo deditos idololatriae ut secundum numerum civitatum essent dii eorum et prohibentes interficerent. Illinc vero adeo represionis inimicos ut asserant se non esse pollutos et 1^a velint iudicio contendere et 1^a nitantur ostendere viam suam et 1^a dicant absque peccato et innocens ego sum et propterea avertat furor tuus a me. Illorum ergo impudentia convincenda merito insistit Propheta Dei.

12. *Vide vias tuas in convalle.* Ridiculum est quod ex hebraeo et Rabi Salomone refert Capella quia ad convincendos idololatriae eos qui tempore Jeremiae vivebant mittunt eos ad campestria Moab ubi initiati sunt patres eorum Beelfegor . Multo ergo aptius Theodoretus ex eadem Jeremiae 1^a c.7, n^o31.

13. *Cursor levis explicans vias suas.* Bene probat Capella cursorem hic non significare homines sed vel capream vel dromedarium vel camellum, fallitur autem dum putat explicare vias suas esse idem quod huc et illuc cursitare institutum subinde mutando hoc certe est manifeste afferre vim textui, alioqui non satis patet nostrum interpretaem nihil aliud significare voluisse nisi magnam velocitatem et impetum. Quare explicare vias extender el paso y caminar a banderas desplegadas et idem est quod vertit Pagnini capere viam cogere el camino en la mano y tirar quare nescio quid sit implicare vias quod vertit Arias . Hac ergo similitudine ob oculos ponitur quanta animi contentione ad idololatriam ferretur Synagoga más ligera que una cabra montés o que una dromedaria.

14. *Onager asuetus in solitudine in desiderio animae suae attraxit ventum amoris sui.* Lyra putat Sinagogam festinantem ad cultum idolorum comparari agro vel asino cum magno impetu currit ad foeminam cum postquam odore aflatur et incalescit ita ut attrahere spiritum amoris sui sit dalle el viento de la hembra. Ego, si per amorem foeminae intelligerem existimarem nihil aliud esse attrahere spiritum amoris sui nisi ex amore foeminae rudere quia rudibus omnia videntur esse animi strepitus vehementer respirantis prae desiderio et attrahere spiritum ex aliis Sacrae Scripturae locis in vehementi respiratione consistere ut Ps 118 [131] *os meum aperui et atraxi spiritum quia mandata*

etc, et Jeremia 14 [v.6] *onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones quia non erat herba.*

Quod si obiicias non posse intelligi de amore foeminae quia sermo est de onagro foemina ut vult Capella. Respondeo id non probari neque ex hebraeo neque ex contextu quia quod sequitur *nullus axistet eam* de Hierosolyma intelligitur [f.89] Si vero per amorem in presenti non intelligitur amor foeminae sed cibi scimus etiam asinos prae fame rudere sed ponitur comparatio in onagro silvestri potius quam in asino domestico quia silvestres utpote rebeliores multo frequentius rudunt et pronoiores sunt ad lasciviam, vehemens ergo idololatriae desiderium quod in eo populo cernebat propheta. Aquella ansia de idolatrar aptissime comparat onagri ruditui por ser cosa tan tosca et propter liberam et stupidam huius animalis naturam et onagri praesertim quod non agnoscit praesepe domini sui sed rudendo vagat.

Alia quae hic adducit Capella de onagri natura, scilicet velocitatem ei provenire ex facilitate respirandi seu spiritum attrahendi et non onagram foeminam nisi cum est gravida et non capitur nisi cum est gravida atque etiam aurae carpendae gratia magno impetu ferri ad certum locum credat qui vellit, mihi prorsus videntur excogitata ad loci constructionem neque id satis apte.

15. *Nullus avertet eam, omnes qui quaerunt eam non deficient, in menstruis eius invenient eam.* Optime hic Lyra de Hierosolima, adeo ad fornicationem id est ad cultum idolorum propensa ut frustra quis eam deterrere conaretur atque adeo non opus esse ut qui eam ad fornicandum quaerunt, scilicet novum asserentes idolum valde in eius persuasione laborent quia etiam in menstruis invenient eam paratam ad instar falacissimae meretricis quae etiam menstruorum tempore libidini se exponit significat nullum esse impedimentum, nullum periculum quod eam retardet vel si magis placet cum Hieronymo et 70 in menstrui eius invenient eam id est omnes qui voluerint repererunt eam in turpitudinis humilitate ac si diceret siempre está en el burdel.

17. *Prohibe pedem tuum a nuditate et guttur tuum a siti.* In superioribus inducitur Hierosolyma ut meretrix insaniam miseratus propheta ait prohibe pedem tuum etc, ac si diceret donde vas tan desalada por ese desierto aspero descalza y carleando. Miserere animae tuae et respondet se nolle aut non posse continere.

17. *Quomodo confunditur fur sic confussi sunt* etc, praeteritum pro futuro quasi diceret toda esta desvergüenza de ahora ella parará algún día en vergüenza y confusion quia *in tempore afflictionis dicent Domino surge et libera nos et tunc ubi sunt dii tui* etc. Quod si de gravitate supplicii conquerantur et *mecum velint iudicio contendere* facile cadent; causa quia omnes me dereliquerunt atque id fecerunt cum ego semper illis et uberrimum fructum et máximum ornamentum attulissem.

18. Caetera optime Capella. Sed perpende an forte per alas intelligantur manicae vestium et cum dicitur ab ista egredieris femininum genus in Sacra Scriptura aliquando poni [f.89v] pro neutro ut cum Ps unam petii a Domino, et hispane tan mal ha de salir de esta como de la pasada, con las manos en la cabeza.

Caput 3

Explicatur inmensa clementia Dei invitantis Judeam ad poenitentiam sed frustra; deinde justificatur Israel comparatus Judae neque solum invitatur sed etiam praedicitur efficaciter adducendo ad finem Evangelii et per eum omnes gentes et tandem ipsi etiam judaei postea conquaeritur Dominus iterum se contemni a domo Israel et describit plagas eis inflictas et ex illis ortam poenitentiam.

2. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis.* 70 cum Patribus multis, ubi Capella optime philosophatur in eo quod pastor et amator eodem nomine hebraice significantur rectius tamen diceret eodem verbo hebraico significari amare et pascere ut est in Thesauro, quia pastor et amator licet eisdem litteris scribantur non tamen eisdem punctis ut patet ex eodem Thesauro. 70 vero qui pastores rediderunt de diis gentium intellexisse videntur quos qui colebantur ab eis se pasci et gubernari putabant; unde David Ps 22 cum ait Dominus regit me sive ut ex hebreo vertunt Dominus pascit me nihil aliud significat quam se nullius alterius providentiam venerari nisi solius Dei.

3. *Leva oculos tuos in directum.* Primo notat Capella nomen hebraicum pro quo nos legimus directum significari loca excelsa vias etiam solas et planas. Et secundo notat haec omnia comprahendi transferendo in directum. Utrumque tamen videtur falsum quia qui elevat oculos in directum non necesse est ut omnia circumspiciat et vox hebraica si thesauro credimus solum significat loca edita, adde quod non erat mos eo tempore colentibus idola in viis et planis sacrificare sed in excelsis. Forte ergo in nostra littera directum ponitur pro erecto et elevato, ac si diceret eleva oculos tuos in quemlibet locum excelsum et nullum reperies neque montem neque collem in quo non sacrificaveris idolis aut forte ex natura visus qui recta tendit in obiectum explicari potest leva oculos tuos in directum id est dirige obtutum quocumque volueris oculos elevando atque adeo omnia excelsa loca notando et nullum invenies quod tuis sacrificiis non sit pollutum. Facit Hieronymus.

4. *In viis sedebas expectans eos quasi latro in solitudine.* Contextus cogit ut illud relativum *eos* designet falsos deos etc. Est enim sermo de illa forni-

catione qua civitas idolis se commiscebat verum non est requirendum ad veritatem ut vere exierit plebs ad expectandum idolorum adventum neque enim singulae voces in alegoria sigillatim applicandae sunt sed integra allegoria simul sumpta significat vehementer optasse Hierosolymam idolis commisceri atque adeo non solum oblata occasione peccasse sed etiam idola magno ardore quaesiisse ad similitudinem illius meretricis quae eggredebatur ad quaerendos adolescentes pueros et sicut latro qui exspectat in via.

5. *Dux virginitatis meae tu es.* Extra eorum saltat qui ex hoc loco perpendit [f.90] non posse servari virginitatem aut adolescentiam nisi Deo duce neque enim significatura erat Hierosolyma se Deo duce pudorem illibatum conservasse sed docetur ut respiscat a vita meretricia et dicat Deo tu es Deus virginitatis meae, scilicet te ductorem sequuta sum per desertum tempore adolescentie meae antequam idolis commiscerer, vel forte dux virginitatis appellatur qui virginem duxit sponsam ac si diceret te primum agnovi sponsum atque adeo ad te reverti debeo et veniam errati postulare quia tibi puella legitimo matrimonio sum coniuncta.

Sed dicet quis ex hoc transferendum fuisse dux adulescentiae atque id esse multo altius quia non videtur certum illum populum non fuisse idolorum cultu pollutum antequam verum Deum agnosceret. Respondeo 1º illum populum videri natum in 12 filis Jacob et illos fuisse veri Dei religione imbutos ab ipsis incunabulis, quod si quis adolescentiae temporis contendat omnino esse referendum ad egressum ex Aegypto ex supra dictis c.2 et dicat ante egressum fuisse populum idololatriae deditum. Respondeo priora delicta non posse tribui populo judaeorum sed singulis hominibus quia illuc usque nihil de se statuebat populus ac si esset puella nondum nubilis at vero cum primum potuit de se decernere quasi iam libertatis usum adepta tunc vero Deo legitime desponsata fuit et illum ducem sequuta antequam idolorum cultu pollueretur, quare certum est illam virginem a Deo ductam fuisse atque id etiam significatur Ezech 16.

6. *Numquid irasceris in perpetuum aut perseberaberis in finem?* Duplíciter possunt accipi verba haec aut tanquam dicenda a Judea ad Deum aut tanquam dicta a Deo ad Judeam et sic exponunt 70 et interpretes greci.

7. *Fecisti mala et potuisti,* ac si diceret et in peccatis invaluisti.

8. *Vade et clama contra Aquilonem.* Non satis videtur statuere Capella an quae sequuntur contineant prophetiam de conversione 10 tribuum ad fidem Christi ait enim fortasse illa verba revertere et revertimini esse forma loquendi ad aggravandum peccatum Judae quasi diceret non est cur diutius Israel in captivitate permaneat cum judaeis comparati minora supplicia mereantur. Verum contextus cogit ut dicamus vere praedici conversionem Israelis Deo sic disponente ut ex occasione caecitatis judaeorum salus pri-

num contingeret Israeli, et post Israelem gentibus et demum post ingressam gentium plenitudinem judaei postremum salvi fierent.

Sed obiicies multo aliter videri Paulum tradidisse misterium hoc Romanos 11, ait enim ex occasione caecitatis Israel intrasse primum plenitudinem gentium et postea Israel salvum faciendum. Respondeo Jeremiam hic manifeste accipere nomen Israelis ut distinguitur contra Judam, Paulum vero omnino accipere pro judaeis, [f.90v] loquitur enim juxta sui temporis consuetudinem et constat tempore divi Pauli mansisse nomen Israelis in solis fere judaeis quod in libro Regum distinguebat ab illis 10 tribus hinc est ut idem prorsus sit quod in ordine conversionis Paulus ultimo loco Israelem constituat et Juda in Jeremia, quod vero Jeremia concedere videtur primum locum Israeli, secundum gentilibus et tertium Judae, Paulus vero solum numerat primum gentes et postremo judaeos id etiam fecisse conciliatur, constat enim Paulum praesupponere aliquos ex israele recepisse Christum priusquam a gentibus agnosceretur et per eos paucos disseminandum esse semen Evangelii atque adducit ex Isaia [10,22] illa verba *consummatio abbreviata inundabit justitiam*, de iis ergo paucis agit Jeremia primo loco, ait enim asumendos esse israelitas unum de civitate et duos de cognatione, ac si diceret unos poquitos uno de aquí y otro de allí et hos paucos ait esse valde multiplicandos scilicet quia per eos ut statim subdit congregandae sunt omnes gentes in nomine Domini ad spiritualem Hierosolymam et tunc demum domus Juda accessuram ad ecclesiam.

9. Sed forte obiicies quis eos qui primum agnoverunt Christum fuisse ex populo judaeorum et non ex 10 tribubus qui fuerant ad Aquilonem abductae quomodo ergo Jeremias qui primo loco designare voluit eos qui primum erant recepturi verbum contra Aquilonem clamat ad Israelem ut opponitur contra Judam. Respondeo Jeremiam velle designare eos qui Ecclesiam Christi erant propagaturi, scilicet Apostolos atque discipulos maxima ex parte futuros fuisse non ex tribu Juda sed ex aliis atque ita clamat contra Aquilonem quia Zabulon et Nephtali et Galilaea erant Hierosolimae ad Aquilonem sive ad septentrionem atque ita cum ait revertere et revertimini non est exponendum de reversione ex captivitate temporali sed de conversione ad Dominum et de liberatione a demonis captivitate et probo evidenter quia introductio in Sion quae sequitur similiter est spiritualis.

10. *Vade et clama contra Aquilonem*. Constat non fuisse jussum prophetam ad Israelem proficisci sed cum absentibus ac si essent presentes ageretur contenta voce misterio causa; deinde videtur propheta ita temperasse sermonem ut prima facie videretur loqui de eorum Redictu / ex captiv et sub eo cortice sacrum magnum reconderetur de quo supra.

Si quis vero interroget quomodo cohaereat in contextu ut ex comparatione Judae cum Israele secundum illius temporis statum de repente transeat ad

eam commutationem quae post longa tempora facta est. Respondeo illa verba *et dixit Dominus ad me: Justificavit animam suam aversatrix Israel* comparatione Judae sic videri explicanda ut non solum ad tempus praeteritum sed etiam ad postea futuram judaeorum pertinaciam pertineat quasi diceret judaeos et peiores esse et peiores futuros et propterea in mundi renovatione quae per Christum facta est praefereandos esse Israelitas judaeis scilicet paucos illos de quibus dixi. Hac ratione transitus iste aptissimus est et si quis in nomine Israel comprehendere velit gentiles eo quod dispersus esset in gentibus non valde contenderim. [f.91]

Revertere. Non solum est invitantis sed etiam prophetantis, et sic saepe prophetae per imperativum enuntiant aut forte per haec verba primum invitat et postea prophetat ubi ait ego vir vester etc.

12. *Verumtamen scito iniquitatem tuam.* Patet hic in Dei gratiam et amicitiam reverti nisi sua peccata erubescat. Vide 1,19.

13. *Dispersisti vias tuas alienis sub omni ligno frondoso.* Non placet quod ait Capella ut via ponatur pro pede. Dico ergo utrumque esse hebraismum ad significandam impudicitiam foeminae dispergere viam et dividere pedes. Fornicatio autem allegorice significat idololatriam et forte etiam quamlibet aliam alienationem a Deo.

14. *Et dabo vobis pastores juxta cor meum et pascent vos* etc. Suscipior designari Christum et Spiritum Sanctum quia etiam Christus se Pastorem appellat et per se docuit hos primos Israelitas de quibus sermo est, et de Spiritu Sancto dixit illis Christus *ille vos docebit omnia et sugeret vobis omnia.*

15. *Cumque multiplicati fueritis et creveritis.* Duo significat: alterum est Ecclesiam ab illis primis discipulis valde esse multiplicandam per doctrinam Fidei, alterum est non esse statim abolendam legalium memoria sed post aliquos annos ut sepeliretur Synagoga cum honore cum iam multiplicati fueritis non dicetis arca testamenti, non haretis mucho caso de ella, neque ascendet super cor nisi buscareis el arca antigua nisi haretis otra como ella neque enim opus esse judicabitur in illo tempore et arca materialis sit solium Domini sed ipsa spiritualis Hierusalem, scilicet Ecclesia integra civitas erit solium Dei et ad hoc solium Domini congregabuntur omnes gentes sicut olim judaei ad arcam suam.

16. *In diebus illis ibit domus Juda ad domum Israel.* Significaverat prius receptum esse Christum a quibusdam paucis Israelitis; nunc loquitur de reliquo Israeli id est de decem tribubus non Deo conversis et quod ait ibit domus Juda ad domum Israel perinde est ac si diceret in eandem ibunt semitam et relicta priore pertinacia utrius convertentur id autem eleganter expressit propheta sub allegoria venientium de terra Aquilonis id est de captivitate ad terram promissionis.

17. *Ego autem dixi quomodo ponam te in filios.* Video expositiones Cappellae inter quas illa prima facie videtur elegantior quae sic exponit *o cómo os he de dar espíritu de hijos, trataros como a tales.* Et facit quod 70 legunt affirmative absque interrogatione ponam te in filios. Verum ni fallor interrogatio nostrae litterae et contextus sequens aliam postulat constructionem cum enim dixisset congregatas esse omnes gentes ad terram promissionis et postea etiam subdat Israellem et Judam convenire ut revertantur interrogare videtur quomodo admittendi [f.91v] sint cum videatur locus occupatus et ita ait quomodo ponam te in filios et tribuam tibi hereditatem filiorum quam exercitibus gentium concessi exercitibus ait id est multis nationibus et forte etiam virtutibus christianorum ex gentilibus conversorum significat.

18. *Et dixi patrem vocabis me et post me ingredi non cessabis.* Ac si diceret non propterea ab incipio desistatis quod gentes primo constituerim mihi filios et terram promisam eis concesserim sed persiste tu etiam vocare me patrem et non retrocedendo a me. Nota illud verbum ingredi non semper poni pro intrare sed aliquando esse idem quod incedere et ambulare atque ita in presenti cum ait ne cessa ingredi post me idem significat quod alibi dum saepe monet ut sequamur Dominum eo nempe modo quo milites sequuntur ducem vel idem quod alibi dum monemur ut quaeramus Dominum semper et a post me non retrocedatis et sic etiam nos dicimus andas tras fulano scilicet quaerit eum.

19. *Sed quomodo si contemnat mulier amatorem suum.* Difficilis apparet contextus. Nota primo Israelis nomine aptissime iam designari utrumque populum, scilicet Judam et 10 tribus. Cum enim supponatur eos in unum convenisse ut simul revertantur ad terram promissionis convenienter iam, ne dicam necessario communi nomine designantur. Deinde nota contextum videri huiusmodi ut prius Israelita moneatur ut ab incepto non desistant et deinde significetur ita esse eos in terram promissionis admittendos ut tamen antea vitae et pertinaciae dolorem et lacrimas prae se ferant, ait ergo *sed quomodo si contemnat mulier* etc ac si diceret haec de haber memoria y vergüenza del desacierto pasado y por el camino han de venir llorando *vox in viis audita est ploratus et ululatus* etc.

20. *Convertimini filii resistentes et sanabo contritiones vestras.* Videtur consolari plorantes quasi diceret volveos acá y yo os sanaré, illi autem accedunt lachrymantes et dicentes *ecce nos venimus ad te.*

21. *Vere mendaces erant colles et multitudo montium.* Optime haec Cappella. Sed oportet advertere prophetam quidem accommodare sermonem reprobando sui temporis consuetudinem. In expositione vero cum sermo sit judaeorum et Israelitarum qui post plenitudinem gentium ad Christum convertuntur oportet ut intelligamus eos non tam erubescere idololatriae eorum qui

praecesserunt Christum quam eorum qui subsequuti sunt similem aut maiorem pertinaciam quam merito possunt comparare vanis deorum altaribus quae olim erigebant.

22. *Confusio comedit laborem patrum nostrorum*. Solet in Sacra Scriptura poni confusio pro pudore et rubore. Hic vero ponitur procul dubio pro solo pudoris quasi diceret labor omnis Patrum vestrorum consummatus est in rebus confusione dignis. Major tamen difficultas est in eo quod sequitur [f.92]

Dormiemus in confusione nostra, quia quod ait Capella hac frasi significari multo temporis captivitatis, ut Ezech 4, plane non est ad rem, non enim cohaeret ut qui ad Deum convertuntur et ab eo invitantur non illico erigantur ad libertatis et redemptionis spem.

Dico ergo multo aptius videri ut dormire in confusione et operiri ignominia sit undique ignominia circumdari quia qui valde erubescit anteactae vitae sordes aptissime dicet que en esta confusión se acuesta y con ella se cobija. Facit pro hac frasi locus Isaiae 50 fine, *dormietis in doloribus* ubi Forerius¹ cubabitur vel cubatum ibitis ad dolores et tristitiam et doloribus capita acclinatebitis, haec enim sunt latera inferni, haec strata, haec cervicalia vel dolores. Similiter ergo haec sunt cervicalia verae poenitentiae vel latius vitae confusio et asidius pudore.

Caput 4

Summa capituli.

1. Qualis deberet esse vera poenitentia et quae mala a caldeis inferenda essent illi populo impoenitenti.

2. Dubitatur 1º quomodo cohaereat hoc caput cum praecedenti, transit enim a poenitentia eorum qui post multa saecula evangelium erant recepturi ad eos qui suo tempore vivebant et quasi istorum fletus et lachrymas videret ita ait si converteris Israel ad Deum convertere et tolle offendicula, alioqui enim caldeis traderis etc. Respondeo hanc prophetae concionem non solum fuisse scriptam sed etiam coram populo habita et forte describente propheta fletum atque pudorem eorum qui dicturi erant ecce nos venimus ad te etc factum est ut animi auditorum quantumvis rebellium commoverentur quia ad eam commotionem efficacissima erat omnia prophetae utpote plena affectus et in simili lamentatione solent etiam meretrices et adulterae impoenitentes animo commoveri et lacrymas ubertim effundere. Cum id ergo adverteret propheta prudentissime convertit orationes ad

¹ Francisco Foreiro, teólogo y escritorista dominico portugués.

plebem collacrymantem et ait si converteris Israel ad Deum convertere, quasi diceret si vultis ut hoc conversionis et poenitentiae signum verum sit et vobis prosit convertimini ad Deum, scilicet non solum exterioribus lacrimis sed etiam interiori cordis contritione ad Deum, id est coram Deo et pro debita ipsius majestatis reverentia et pudore de peccatis contra eam commissis.

3. Aliter explicat Capella, quasi diceret si conversus fueris Israel per poenitentiam converteris seu reverteris ex captivitate, quae explicatio videtur cum praecedenti capite cohaerere et supponere Israelem captivum. Verum si propheta velit Israeli captivo poenitenti promittere redemptionem aptius forte fuerat paulo aliter construere scilicet si reverteris ad Deum convertere scilicet si vis ex captivitate reverti opus est ut ad Deum convertaris [f.92v] aut si ex captivitate reverteris convertere ad Deum.

Dico tamen ex sequentibus constare nihil horum esse ad rem quia id quod in praesenti praecipitur habet adjunctam interminationem eiusmodi convertimini et novate vobis novale etc ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea ascendet enim Leo, scilicet Nabucodonosor et vastabit civitates vestras etc. ergo non est sermo ad Israelem post captivitatem sed prorsus ante illam.

4. *Si abstuleris offendicula non commoveberis.* Hoc si abstuleris abominationes quo nomine plerique idola intelligunt verum aptius est de sceleribus atque flagitiis in communi explicare ac si diceret relinque abominanda quae comittis scelera et ab eis convertere atque ita non corrues neque captivitati subiacebis, si enim de solis idolis loqueretur videretur permittere impunitatem aliorum criminum sublato idolorum cultu quod et veritati et sequenti contextui repugnat.

Sed rogabis cur noster interpret pro peccatis seu abominationibus reddiderit offendicula. Respondeo ea forte frasi qua nos peccatum appellamus Dei offensam aut forte voluit ut sibi corresponderent nomen offendiculi et verbum commoveberis quasi diceret aufert scandala et non concidas, scandala ergo quae nos faciunt incidere in poenam sunt peccata.

5. *Et jurabis Domino in veritate et in iudicio et in justitia.* Valde suspicor non esse sermonem peculiariter de juramento cur enim id solum singulariter praecipitur in communi textu e poenitentia et morum vitae correctione. Dico ergo juramenti nomine haec justorum vita et moribus Dei glorificatio designari in communi religionem quia unusquisque juret per Deum quem colit et consequenter apte ponitur juramentum pro cultu. Erit ergo jurare per Jeoba verum Deum colere. Cum ergo ait propheta jurandum esse vivit Dominus in veritate et in iudicio et in justitia idem significat ac si aperte diceret colendum esse Dominum in veritate et in iudicio et justitia scilicet cultum veri Dei conjugendum esse cum vitae innocentiae et morum sanctitate, contratar verdad

y hacer lo que fuere razón y justicia atque ita fiet ut gentes glorificent Deum. Vide Mt 5 et Rm 2.

6. *Et benedicent eum gentes ipsumque laudabunt.* Sensus qui ex simplici constructione colligitur is est procul dubio in presenti aptissimus et caeteri qui adducuntur coacti. Difficultas tamen est in concilianda nostra lectione cum hebraea quae ad verbum sonat *et benedicent se omnes gentes et in eum laudabunt se.*

Dico ergo duplicem hic subesse hebraismum, alterum quod abundat illud relativum se, sicut Canticorum 1,8, abundat illud relativum te, *si ignoras te oh pulcherrima* etc ac si diceret si no te lo sabes habemus ergo legendum esse *benedicent in eo gentes* et hic subest alter hebraismus; ponitur enim in hebraeo frequenter ablativus cum praepositione in pro acusativo, ut Ps 81,8, *hereditabis in gentibus*, id est hereditabis gentes; Gal 6,8, qui seminat in carne et metet corruptionem; Oseae 10,12; vide Habacuc 1,5, *aspicite in gentibus* pro aspiciate gentes. Ergo benedicere in Deo erit [f.93] benedicere Deum. Manet ergo nostrum interpraetem fideliter expresisse sensum hebraicae lectionis.

7. *Haec enim dicit Dominus novate vobis novale et nolite serere super spinas.* Pro parabola seminantis. Constat in Sacra Scriptura eos homines in hac vita agricolis et seminantibus comparari et eos dici serere cum merentur et demerentur, colligere vero cum pro meritis coronantur vel puniuntur. Vide Oseae 10,12, et supra, Gal 6,9. Verum haec metaphora duas habet partes quarum una consistit in seminis differentia quia alii seminant bonum semen alii vero malum; altera vero pars consistit in agricolae diligentia vel negligentia quia qui altum dormit et non praecinditur terram aratro sed super spinas jactit semen quid colligit nisi spinas. In praesenti ergo propheta utitur secunda tamen metaphorae parte atque ita quibusdam forte videbitur reddere rationes cur ad veram poenitentiam praecipiat ut coram Deo convertantur et auferant offendicula, et justitiam cum vera religione jungat, scilicet quia alioqui ex poenitentiae semine nihil colligent sicut ergo qui in novali sererent et terram aratro non precinderent ad spinas evellendas. Vide Mt 13 et Lc 3 quomodo sint faciendi fructus digni poenitentiae. Hac ratione solum est sermo de seminantibus poenitentiam, verum aptius forte fuerit ita explicare metaphoram ut latius pateat et ad eos etiam extendatur qui nihil aliud serunt nisi scelera atque flagitia. Licet enim hi soleant esse diligentissimi in suis consiliis et ideo merito comparentur Osee 10 iis qui pessimum semen diligentissime serunt verum quia suae salutis negligentissimi sunt ideo merito etiam negligentissimis agricolis comparantur et non oportet in allegoria singula sigillatim applicare et explicare v.gr. quid sit semen quid novale etc.

8. *Circumcidimini Domino et auferte praeputia cordium vestrorum.* Haec etiam metaphora familiaris est Sacrae Scripturae ut patet Deut 10 circumcidite

praeputium cordis vestri et cervicem vestram ne induretis et c.30 circumcidet Dominus cor tuum ut diligas Dominum in toto corde tuo et Jeremia 6,10 dicuntur incircumcissae aures eorum qui audire non possunt verbum Dei. Vide Rom 2 de eo qui in abscondito iudaeus est et circumcissus corde, et Philip 3, et Colos 2,11. Verum nota in hac metaphora non id praecipue spectari quod per circumcisionem amputetur id quod erat superfluum, quia neque hoc est satis solidum cum natura nihil frustra formaverit, de quo late Galenus de usu partium neque si esset verum erat satis aptum ad significandum omnium scelerum resecationem utpote quae non superflua sed lethalia sunt; hac ergo sublata ratione et analogia relinquitur ut non tam consideremus per has circumcisionis rationes quam moralem effectum per quem distinguebatur populus Dei ab alienigenis sed circumcissio carnalis carnaliter distinguebatur, circumcissio vero cordis spiritualiter et secundum veritatem, hinc et ut circumcisionis spiritualis nomine merito distinguatur [f.93v] fides viva et amor Dei et ea omnia per quae animus Deo conferatur et quasi Dei sigillo significatur quae resecantur per spiritualem circumcisionem scilicet scelera omnia atque flagitia et in universum quicquid a Deo alienat. Hic omnino videtur usus huius allegoriae in Sacra Scriptura. Et caeteras considerationes quae in parabola circumcisionis rationis fundantur non omnino rejiciam. Vide Laureti Silvam.

9. *Propter malitiam cogitationum vestrarum.* Constat non esse sermonem de his peccatis praecise quae sola cogitatione perpetrantur quia ii qui publice colebant idola non sola cogitatione peccabant quomodo ergo se puniturus eos minatur propter malitiam cogitationum. Respondeo cogitationum nomine forte comprehendi ea etiam quae subsequuntur opera ut si quis de aliquo dicat que es de malas voces y de malos hígados ea frasi significaret eum esse valde sceleratum aut forte cogitatio frasi hebraea significat opera ut hispanae entender en algo. Facit quod Pagninus ex hebraeo vertit propter malitiam operum, Arias a faciebus conatum vestrorum.

10. *Congregamini et ingredimur civitates munitas.* Spiritualiter explicat Jeremias ut Christi munimenta nos soneant quando haereticorum bella con-surgunt, optarem tamen ut sensus spirituales qui adducuntur litterali niterentur ut fundamenta, et constat in praesenti non significari ad litteram eos qui intra menia Hierosolymae se continerent periculum evasuros plebem premetur inclusuram se ipsam intra menia ita verba haec congregamini etc non sunt praecipientis aut consilium praebentis sed prophetantis et forte per mimesim refert vana edicta quae cito erant promulganda aut verba eorum qui eiusmodi consilium capturi erant scilicet confugiendi ad menia et non ad veram poenitentiam.

11. *Confortamini nolite stare*

[espacio vacío] [f.94] [espacio vacío]

13. Sed obiicies si de falsa pacis promissione sermo est non debuisse dici deceptum fuisse populum a Deo, et si hoc explicetur de permissione Dei, ut 3 Regum 22 et Ezechiel 14, saltem Deus dum permittit mendacium nulla ratione dicit mendacium, quomodo ergo in praesenti dicitur heu Domine decepisti populum tuum dicens pax erit vobis. Huic obiectioni occurrit Capella eiusmodi vim interrogationi tribuens decepisti ne populum istum dicens pax erit vobis quasi dicat non equidem sed ipsi se deceperunt. Verumsi constructionem requiras constat prophetam lugere et lamentari quod a Deo sint decepti atque id patet tum ex contextu sermonis, tum ex textu ubi nulla est interrogatio sed absolute legitur heu Domine vere imponendo imposuisti populi isto dicendo pax erit vobis et eodem spectat quod nostra littera per interrogationem exprimit quia perinde est sive dices ay que me engañaste sive ay y cómo me engañaste? Et confirmatur qua omnes interpretes ut Hieronymus, Theodoretus omnes supponunt

[f.94v] populum in praesenti dici a Domino deceptum. Ergo interrogatio aequivalet affirmationi, quod vero Deus dicatur dixisse pax erit vobis cum vere ipse non dixerit sed mendaces prophetae, id ad permissionem similiter referendum est, non quia omnia quae quis permittit dici ipse aliquomodo dicere videatur sed ea saltem quae ipsius nomine dicuntur ipso permittente. Quia ergo illi prophetae mentiebantur atque dicebant pax erit vobis dicit Dominus cum hoc ipse Dominus ad populi deceptionem permetteret et uteretur illo mendatio sibi adscripto ad populi revelis [sic] supplicium ideo merito ait Hieronymus Deum visum fuisse quodammodo eos decepisse atque dixisse pax erit vobis non quod ipse diceret mendacium quod fieri non poterat sed quod in ore mendacium prophetarum sonaret illa vox scilicet pax erit vobis dicit Dominus ipso permittente.

14. *Pervenit gladius usque ad animam.* Eadem frasi nos dicimus de vehementissimo dolore que llega al alma. Dices forte ineptam esse metaphoram quia nullus est dolor nullus adeo obtusus gladius qui ad animae sensum non perveniat. Respondeo in hac frasi fingi quasi dolor aut gladius perveniat ad immediate contingendam animam atque is dolor sit maxime molestus sicut enim contactus rei asperioris eo magis ledit quo partem magis sensibilem, ut aiunt, tangit atque ita maxime ledit pupillam oculi, ita cum anima videor multo acriori sentiendi vi praedita quam ulla caro merito fingitur is esse molestissimus dolor aut gladius qui animam ipsam contingeret immediate. Dico immediate quia alioqui dolores mediate perveniunt ad animam asumendo corpus.

15. *In tempore illo.* Scilicet quando ascenderit leo de cubili suo, quando moverit castra chaldeus.

Dicetur populo huic excitatum esse ventum urentem, id est siccum un

viento regañón que todo lo quema y abrasa in viis quae sunt in deserto que viene por esas montañas del desierto id est in locis editis in deserto sed eodem redit *viae filiae populi mei*, sed in via Hierosolymae id est via filiae populi mei et videtur esse nominativus absolutus. Dico tamen eadem frasi nos dicere fulano va camino de Córdoba, sic ergo hoc dicunt ventus in deserto, via Hierosolymae scilicet ventus Hierosolymam per vias autem deserti designatur magna eremus quae erat inter Chaldeam et Judeam. Sed cur Hierosolyma appelletur filia populi illius. Respondeo hoc nomen filius et filia latissime patere in lingua hebraica aut forte sunt omnes homines post primum appellantur filii hominum sic totus populus post primum saeculum merito appellatur filius populi et si mysterium quaeritur in eo quod foemenino genere appelletur filii populi masculi forte ea ratione significantur eorum efeminati mores et quia masculi primorum parentum [f.95] virtute degeneraverint.

16. *Non ad ventilandum et ad purgandum.* Dixerat ventum excitatum fuisse in deserto versus Hierosolymam perflantem, nunc ait eum ventum non esse eiusmodi ut possit ventilationi deservire, ac si diceret no viene a hacer ningún provecho, qua loquendi ratione multo plus significatur quando dicitur, ut enim aliquem significemus esse vajde sapientem dicimus no es nada bobo, sic ventum maxime perniciosum ait non esse ad ventilandum, aut forte significat advenientem calamitatis ventum ut paleas sit dispersurus relicto tritico sed omnibus et simul et paleis et granis perniciem allaturus omnia dispulsurus scilicet iustis pariter et peccatoribus exilium et calamitatem afferri.

17. *Spiritus plenus ex his veniet mihi.* Dupliciter explicat Capella de vehementi tempestate. Verum in quavis explicatione oportet ut hic *mihi* referatur ad Deum quia Deus est qui statim subdit *et nunc ego*, quare si de tempestate sermo est dativus ille *mihi* significabit tempestatem de qua loquitur divinae voluntati deservire quasi diceret un bravo viento me los esparcirá. Sed forte non est adeo certum spiritum plenum pertinere hic ad tempestatem multo enim melius cohaeret contextus nisi fallor si intelligamus Deus ad misericordiam commoveri cum enim significasset non solum paleas sed etiam triticum esse dispergendum aptissime cohaeret si Deus subdat se ex illa justorum calamitate commovendum esse et humano more loquens dicat spiritus plenus veniet mihi quia gementibus atque suspirantibus videtur os et pectus spiritu repletum et quacumque redundare non quod in Deum cadat suspirium neque tristitiam sed quod in effectibus ita se gerat ac si de justorum calamitate valde doleret. Hunc sensum valde confirmat contextus qui sequitur, scilicet et nunc ego; sed loquar judicia mea cum eis. Hanc enim esse legitimam lectionem optime probat in suis notationibus Francus Lu-

cas² ex Richelio³, Clarensi⁴, Lirano, Thoma et Glosa ordinaria, qui omnes ex Hieronymo notant aposcopesim esse hoc loco juxta id Virgilii *quos ego sed metus prestat* etc atque ita Deum in praesenti cum videretur velle prospera dicere retinere se et tristibus jungere tristitiam. Ergo illa verba et nunc ego, ex praecedenti commiseratione orta aliquid in favorem justorum incipiebant vel ergo dicendum est praecedentibus commiserationibus contineri, scilicet si ad rigorem justitiae et tempestatis vehementiam pertinet spiritus plenus ablata aposcoperi et particula sed absolute legendum est et nunc ego loquar judicia mea cum eis quorum verborum sensum vide supra c.1. par. 43. [f.95v]

18. Dicit quis hoc posse intelligi spiritus plenus ad tempestatem vindictae pertinere et statim adjungi illa verba *et nunc ego* quibus incipiebat prospera nunciare et subito rediri ad superiorem comminationem interruptis iis quae ad miserationem pertinebant. Respondeo ex illis solum verbis et nunc ego licet ea interruptantur non posse ullum misericordiae affectum colligi quare si spiritus plenus nihil blandum et mitte contineat illa verba et nunc ego interrupta potius viderunt incipere celeriore aliquem irae divinae affectum ac si diceret et nunc ego inebriabo sagittas meas sanguine sed prius volo judiciorum meorum illos certiores facere si forte convertantur et vivant.

19. Si vero omnino explicemus cum Hieronymo presentem aposiopesim esse affectum misericordiae inter comminationem supplicii indicatum valde id pertinebit ad agnoscendam Dei ad miserendum propensionem utpote quam videatur non potuisse omnino celare inter ipsas minas et hastae vibrationis et in hac etiam aposiopesi licet perpendere quam singularem suorum Deus curam gerat, cum videatur non potuisse impiae civitatis desolationem et captivitatem praedicere quum medium irae affectum interrumpere aliqua clementiae dignificatione quia cum illius calicis portio ad justos etiam pertineret indicare voluit se non oblivisci amicitiae et omnia tandem in amicorum bonum esse ordinanda. Simile quid habemus Isaia 3 ubi cum integro capite prophetet ruinam et desolationem Hierosolymae et praecipue judicium contra principes et captivitatem delictarum foeminarum inter haec interponit illa pauca plena suavitatis verba *dicite justo quoniam bene.*

² Franciscus Lucas Bruggensis.

³ Nicolai Richelius [?]

⁴ Es probable que se trate de una errata en el original, en el que se lee *Carensi*, cuando debería ser *Clarensi*.

20. *Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiae.* Vide supra, hoc caput, n° 9.

21. *Vox enim annunciantis a Dan et notum facientis idolum de monte Ephrain.* Id est nam vox annunciantis a Dan et audire facientis Aben a monte Ephrain. Porro Aben aliquando significat idolum et aliquando laborem, scilicet dolorem, Pagnini et Arias iniquitatem de more reddunt et huic etiam voci utraque subest significatio quia aliquando iniquitas designat culpam et hac ratione idolum est maxima iniquitas et aliquando iniquitas designat calamitatem quae idem est quod labor aut dolor, duelo, trabajo, malaventura; 70 hic dolorem reddidere, Theodoretus laborem ponit et explicat ille praesentem locum ac si diceret cata que viene ya la nueva de vuestra desventura a saber del ejército que viene marchando por Dan y por Ephrain, sponit enim hanc esse viam per quam venturus erat Nabucodonosor. Haec explicatio prima facie videtur non cohaereret cum nostra littera sed eam nihilominus Hieronymus sequitur. Sed si roges cur si haec [f.96] illi arribebat explicatio nihilominus maluerit legere idolum quam laborem. Respondeo ex commentariis Hieronymi apparere ipsum fuisse suspicatum in nominibus his latere mysterium, scilicet in Dan idolum et in Ephrain. Videtur ergo reliquisse nomen idoli quia suspicatus est Jeremiam in calamitatis nomine alludere voluisse ad idololatriae culpam, et propterea ussum fuisse nomine Aben quod idolum alioqui significabat. Merito ergo reliquit nomen idoli ut exprimeret loquutionem Jeremiae symbolicam fuisse dicente enim Jeremia adventare Aben de Ephrain significare videbatur idolum advenire et tamen re vera significat advenire calamitatem maximam propter crimen idololatriae merito ergo voluit Hieronymus ut similiter nostra littera prima facie videretur significare adventum idoli et tamen ex amphibologia dictionis hebraicae intelligenda esset de adventu calamitatis in poenam idololatriae non est autem in Sacra Scriptura novum analogiam nominum graecorum aut hebraeorum ad latina nomina extendere etiam si id non pateretur alioqui frasis latina. In confirmatione huius communis expositionis nota contra caldeum non posse cohaerere contextum si nomen idoli communi usui deserviat in presenti, nisi forte quis cum Capella per idolum intelligat Nabucodonosorem aut eum de *vox notum facientis idolum* exponat de eiusmodi nuncio quod vanitatem idolorum sit manifestaturum. Verum haec expositio non habet locum in lectione hebraica quae pro notum facientis habet audire facientis. Manet ergo nomen idoli poni pro calamitate non solum quia illa calamitas erat in poenam idolorum sed etiam quia propheta voluit nominis ambiguitate uti ad hanc prophetiam, tum ut ea figura dictionis summam gravitatem annuntiaret tum etiam ut indicaret in calamitate ipsa idolum quodammodo devorandum tradi et poenam peccati esse ipsius

peccati amaritudinem. Vide Ex 32,20, ubi Moyses dicit bitulum conflatilem in pulverem redegisse et dedisse ex eo potum filiis Israel.

22. Objicient nobis forte geographi non esse iter rectum venientibus a Babilone Hierosolymam per sortem tribus Dan et per montem Ephrain quia si Babilon dicatur ad Aquilonem ut supra diximus c.11, n°.40. sed non est adeo septentrionalis ut per Libanum esset veniendum Hierosolymam. Respondeo saepe itinera consueta non esse valde recta et praesertim itinera exercituum quibus saepe opus est ab hoc tractu declinare et ab illa dictione, adde quod forte Nabucodonosor per Asiriam veniebat ut exercitus suos colligeret quia quod per Dan et per Samariam transiret satis videtur confirmari ex Hieronymi et Teodoreti auctoritate.

23. *Concitate gentes* sive ut manuscripta legunt, *dicite in gentibus* sensus est sépalo todo el mundo para que escarmiente. Vide Franciscum Lucam. [f.96v]

24. *Auditum est custodes advenire*. De custodium metaphora egregie Capello ex Hieronymo et Theodoro.

25. *Ista malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum*. Ac si diceret este es el efecto de tu idolatria porque en fin era ponzoña y ha llegado al corazón. Tunc enim maximum vires ostendit virus quando pertingit ad cor.

26. *Ventrem meum doleo*. De se ipso loqui propheta multi credunt cum Theodoro, Hieronymus vero ait Deum ipsum a propheta induci loquentem, quod, si ita est valde hic elucet Dei misericordia, et facit seriem sequentis orationis in qua omnino loquitur Deus cum ait populus meus me non cognovit

27. *Tabernacula mea et pelles meae*. Si Deus est qui loquitur de Templo intellige.

28. *Aspexi terram*. Hic iam loquitur propheta, concludit enim a facie Domini et a facie irae furoris eius.

29. *Carmelus*. Supra diximus cur tota Judea eo nomine compelleretur.

30. *Cum vestieris te coccino etc*. Ac si diceret nullis artibus, nullis vitiis poteris sortes tibi delinire atque placare. Satis patet unde sumatur metaphora.

[sequitur] **Caput 5**